

et peribunt viri, qui resistunt tibi.⁹ Ruodolfus, Hildebrandus, Eggebertus et innumeri principes dei ordinationi in Henrico imperatore restiterunt, et ecce, quasi non fuerint, perierunt, quia profecto necesse est, malum fuisse principium, quorum finis pessimus subsequutus est. Nunc ergo quoniam, qui ex adversa sunt, suis adversum nos eminus digladiantur ratiocinationibus, vestro iudicio ubivis vel etiam in vestro iudicia conseramus 5 domicilio, tantum non suo usuario, sed Christi et antiquorum patrum utamur testimonio. Ac ne forte recusent, lex huius esto certaminis vel me in ipsorum transire sententiam vel ex nostro triumpho vos domino nostro imperatori lucrifaciam. Attendatur et illud: ⁊ Si quis aliter evangelizat, preter quod evangelizatum est vobis, anathema sit.⁹ Hoc anathema non de profane novitatis usuario, sed de tertio intonuit celo. De istis autem, qui 10 ignorantem dei iustitiam et querentes suam statuere, iustitie dei non sunt subiecti, fiducialiter dixerim: ⁊ Maledicent illi, et tu benedices, qui insurgunt in me, confundantur. Servus autem tuus letabitur, quoniam, ut ais, domine, sine me nichil potestis facere, nec dampnas iustum, cum iudicabitur illi: Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Suo domino stat aut cadit.

15

## 172.

*Graf Ludwig von Thüringen beantwortet durch Bischof Herrand von Halberstadt das vorige Schreiben.*

[Um 1095.]

*Gedr.: Mon. Germ. SS. 17, 10.*

*Anm.: Vergl. Einl. 131 Anm. 104. S. A. 245 Anm. 104.*

20

Comes Ludewicus domino Waltramo, quidquid tali vocabulo dignum est. Sicut bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, ita malus homo de malo thesauro profert malum. Unde tibi tanta arrogancia, ut me ad indignationem tam iniuriosis iniuriis provocares? Etenim dominos et patres meos, qui me in via iustitie confortant, viros sanguinum, similes sathane oblique appellas, et monita salutis, que suggerunt, inter 25 mulierculas et simplex vulgus sompnare dicis. Numquid deus indiget tuo iudicio, ut pro illo loquaris dolos? Docuit iniquitas os tuum, et imitaris linguam blasphemantium, ita ut recte de te dicat propheta: ⁊ Noluit intelligere, ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo.⁹ Quamvis ergo, quantum perversus, tantum perversa locutus sis, nos tamen ori nostro custodiam ponere decrevimus et silere, cum consisteret peccator adversum nos. 30 Sed excitat nos sermo divinus dicens: ⁊ Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.⁹ Numquid enim fatuitas personabit, et sapientia obmutescet? Numquid loquetur mendacium, et veritas silebit? Numquid tenebre operient terram, et dominus non orietur? Immo lux in tenebris lucet, et tenebre eam non comprehenderunt. Qua consideratione concaluit cor nostrum et in meditatione nostra exarsit ignis. Loquimur igitur et 35 clamamus vulpesque parvulas, que vineas domini demoliuntur, quantum possumus, arcemus, timentes prophetiam illam exprobrantem: ⁊ Non ascendistis ex adverso nec opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prelio in die domini.⁹ Audiant, non tu, qui aures habes et non audis, qui oculos habes et non vides, qui lumen, quod in te est.